

ne informari possunt de pœnitentia. Alii muti nati sunt, nec tamen surdi: hi ex prædicatione verbi, quæ ad pœnitentiam spectant, discere possunt, ut confessionem edant, nutu, scripto aut alio signo. Denique quidam surdi & muti sunt nati, & de his, an ad confessionem & S. Cœnam admittendi sint, dubitant quidam, imo negant, cum nec verbum audire & discere possint quæ ad pœnitentiam spectant. Sed mitius de his judicandum, & cum illis agendum est. Quando igitur ex verbo haurire non possunt fidem & quæ ad pœnitentiam necessaria sunt, per picturas, figuras, nutus & gestus informandi sunt, ut aliquam de Christo cognitionem accipiant: Ex pictis igitur historiis de nativitate, passione, morte & resurrectione Christi aliquam cognitionem cum fiducia conjunctam consequi possunt, ut deinceps etiam pœnitentiam nutu & gestu significare queant. v. g. levatis in cœlum oculis, pectoris percussione, lacrymis &c. Si hoc modo muti & surdi informati sunt, ut desiderium confessionis, absolutionis & Cœnæ significare possint, ad quod operam suam inprimis Ecclesiæ minister conferre debet, à sacra Cœna arcedendi non sunt.

CAP. X.

*De Instructione Ministri Ecclesiæ  
circa Sacramentum S. Cœnæ.*

§. 1.



Sicut in præcedentibus de Baptismo & confessione, ita etiam hoc loco per certa præcepta proponi possunt, quæ ministro Ecclesiæ circa sacram Cœnam observatu necessaria sunt,

§. 2.